



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

de ijs qui confiteri negligunt. cap. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

genti calamitate in summam beatitudinem commutata. In integrum itaque restituitur gratia, cum peccator per penitentiam & confessionem humiliatur. Postremo quicquid diximus de penitentia, idem de confessione est sentiendum. Neque enim perfecta esse potest penitentia sine proposito confitendi, neque utilis confessio absque penitentiae admixtione.

¶ De his qui confiteri negligunt.

Cap. XVI.

DE illis vero qui tam salutiferam peccatorum confessionem peruicaciter deuitant, a via virtutis perpetuo aberrant, quia in tenebris manent, neque quo tendere debeant satis perspiciunt, scriptum est: Qui absconderit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Quid autem prodest id celare hominibus, quod non latet deum? Peccata enim quae nunc vni sacerdoti abscondis, in die iudicii omnibus manifesta erunt, dicente domino: Reuelabo pudenda tua in facie tua. Coram vno modo non vis erubescere? coram plurimis postea confunderis. Omni tamen verecundiae tuae molestia intolerabilior erit iudicis aduersum te seueritas atque cognitio, ea te peccatis grauatam in barathrum detrudet inferni: ut qui confessionis beneficio per misericordiam dei oblato uti noluisti, terribiles infinitosque cruciatus patiaris per iustitiam, dicente Osee propheta: Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei. Talis itaque merces illius erit, cuius peccatum nunc absconditum est nolentis illud secundum diuinam humanamque legis praescriptum confiteri, palamque alteri facere. Nam siue timore, siue pudore id faciat, non excusabitur. Magis enim deum timere debuit quam homines, & potius contempto rubore purificari velle, quam subtracta confessione sordescere. Porro sicut hi qui nunc scelerum suorum poenitentes propria confessione se accusant, angelorum patrocinio subleuati erunt ut beati sint, ita

Prou. 18

Naum. 5

Osee. 13

qui errata suo modo dissimulant, a diabolo tandem ac-
cusabuntur, vt Christi iudicio condemnentur. Curra-
mus igitur totis affectibus ad portum salutis, ne deli-
ctorum tempestatibus acti mergamur in profundum.
Doleamus q̄ peccando præuaricati sumus diuina man-
data, & cum certa emendandi, satis faciendiq; destina-
tione singula quæq; quibus effendimus, confiteamur.
Alioquin ne illa quidem quæ benefacimus, proderunt
ad beatitudinem consequendam, nisi de malis q̄ cōmi-
simus tristemur, eademq; sacerdoti indicemus, vt vo-
lentes moneat, vt sustinere paratos castiget, multaq;
pro delictis, quæ sibi aptior videbitur imposta, mun-
dos puerosq; restituat, ecclesiæ deoq; recōciliet. Si enim
confiteamur peccata nostra (vt Iohannes apostolus in-
quit) fidelis est & iustus dominus, vt remittat nobis
peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Re-
missio minuit culpam, emundatio tollit penam & con-
fert beatitudinem, dicente domino; Beati mundo cor-
de, quoniam ipsi deum videbunt.

1. Iohan.]

¶ De sacramento corporis Christi.
Cap. XVII.

Pœnitentes de ijs quibus te offendimus dñe, &
eadem sacerdoti tuo confessi, atq; ab ipso cui tu
soluendi potestatem dedisti absoluti, ad mensam
saluberrimi conuiuii tui accedimus, vt corpori & san-
guini tuo communicemus. Indigni quidem, sed tñ abs-
te inuitati, q̄ infirmitati nostræ p̄sentaneum porrigēs
remedium, sacratissimum corpus tuum sub specie pa-
nis, Accipite inqs, & comedite, hoc est corpus meū. De-
inde p̄ciosum sanguinem tuum sub specie vini in calice
infusum, p̄pinans ais; Bibite ex hoc omnes, hic est enim
sanguis meus noui testamenti, q̄ pro multis effundetur
in remissionem peccatorū. Et añ per Salomonem in p̄-
uerb̄is hortatus es, dicens; Venite & comedite panem
meū, & bibite vinū qd̄ miscui vobis. Ad tuū ergo cōui-
uiū a te inuitati, a te vocati accedimus, cū plena fide, cū
indubitata credulitate confitentes, panem & vinum

Matth. 20

Prou. 9